

tempore durat, ut puta per diem, biduum, aut etiam triduum, non tollit possessionem, imo nec attenditur, arg. l. *Pretia rerum*. ff. *Ad legem Falcidiam*, et l. *Si ager cuius*. ff. *Quibus modis ususfructus amittit*. ac notat Baldus in c. *Illud* n. 2. d. *Præscript.* et Jason cit. l. *Possideri*. § *Labeo*. n. 9. et seqq. ff. *de Acquir. possess.* fusius hoc declarans.

211. *Et nisi possessor resistat inundationi obijciendo repagula.* — Quarto limitatur eadem conclusio, quando possessor resistit inundationi obijciendo repagula, valla, et hujusmodi: quia quamdiu quis resistit, tamdiu non perdit possessionem, arg. l. *Si id quod*. § *fin.* ff. *de Acquir. possess.* Zasius, et Jason ubi supra, cum aliis.

212. *Non tamen per inundationem amittitur rerum dominium.* — His adde, quod, quamvis per inundationem (cessantibus dictis quatuor limitationibus) perdatur possessio fundi; non tamen idcirco dominus amittat proprietatem illius fundi, l. *Adeo quidem*. § *Insula*. ff. *de Acquir. rer. domin.* ubi dicitur: « Namque inundatio speciem fundi non mutat; et ob id, cum recesserit aqua, palam est ejusdem esse, cuius et fuerat. » Concordat textus in l. *Pomponius*. § 1. ff. *de Acquir. possess.* ubi lapidum tempore naufragii in Tiberim demersorum, sed post tempus extractorum, dominium prior dominus retinere dicitur, non vero possessionem. Siquidem possessio facilius perditur, quam dominium l. *Si quis vi*. § *Differentia*. ff. eod. junctis iuribus proxime allegatis; et notat Jason in l. *Rem que nobis*. n. 6. ff. eod. Et quia nihil commune habet proprietas cum possessione, l. *Naturaliter*. § 2. ff. eod. ex amissione unius non potest inferri amissio alterius.

213. *Quasi possessio jurium incorporalium, quæ competit ratione dignitatis aut loci, hoc omisso perditur.* — Quaritur V. Qualiter perdat quasi possessio incorporalium? Resp. I. Quasi possessio jurium incorporalium quæ competunt ratione certæ dignitatis, vel loci, puta castri, eo ipso deperditur, quod quis illius dignitatis seu castri possessionem amittat. Ita Abbas Panormit. in c. *Olim inter*. 17, n. 14, *de Restitut. spoliat.* Imola in Clem. un. § 1, *de Foro compet.* et alii, post Innocentium in c. *Cum venissent*. 2, *De in integr. restit.* ubi inquit quod si unus fuit ab alio exclusus a sua dignitate, ille alius exercebit jura dignitatis, qui est in possessione, et non alter exclusus. Accedit ratio: quia tale jus incorporale coheret dignitati, vel loco supponitur;

prout v. g. jurisdictio coheret territorio, seu administrationi l. ult. C. *Ubi et apud quem*, etc. Ergo expulsus ab hoc, etiam expulsus videtur a jure incorporali eidem inhaerente: nam connexorum idem est iudicium, arg. c. *Translatio*. *de Constitut.* cum similibus; ac tradit card. Tuschus litt. C. conclus. 626 et Barbosa tract. *de Axiomat. juris*, axiomat. 51 citans alios.

214. *Limitatur istud in casu Clem. un. de Foro compet.* — Limitatur tamen hoc in casu Clem. un. *de Foro compet.* ubi per concilium generale Viennense conceditur episcopis expulsis a Sedibus suis, quod in locis aliarum diocesium (servata forma ibidem præscripta) possint procedere contra expulsores, eorumque fautores et consiliarios; atque inter subditos suos jus dicere. Ratio specialitatis hujus affertur ibidem, illis verbis: « Ne injuria in eorum expulsionem ipsorum irrogata Ecclesiis, hoc prætextu maneat impunita. » Quasi diceretur episcopum posse vindicare injuriam Ecclesiæ suæ illatam, etsi non propriam. Glossa ibid. § *Ecclesiis*.

215. *Amittitur insuper per hoc quod quis sciat tale jus exerceri ab alio, et non contradicat, sed patiatur.* — Resp. II. Insuper quasi possessio jurium incorporalium amittitur per hoc, quod quis sciat tale jus, puta jurisdictionem, exerceri ab alio, et non contradicat, sed patiatur; etiamsi hoc fiat, quia non audeat contradicere: tunc etenim animo pusillanimitatis videtur possessionem deseruisse, atque hanc in alium transtulisse. Ita Abbas cit. nu. 14, post Innocentium ibid. estque communis aliorum; et concordant dicta superius § 3, n. 167 et seqq. Accedit textus in l. *Et si forte*. § *Sciendum*. ff. *Si servitus vendit*. ibi: « Sed et si patiente eo ædificavero, ego possessor ero effectus servitutis. » Ubi Glossa recte concludit: « Sic ergo patientia præjudicat. »

216. *Secus, si resistat.* — Additur notanter « non contradicat, sed patiatur. » Quia, quamdiu quis, quantum in eo est, resistit et non permittit alterum jus, sive jurisdictionem exercere, tamdiu non perdit quasi possessionem illius. Hinc, quando episcopus, v. g. non patitur populum parochiæ suæ servare sententiam interdicti ab alio episcopo prolatam, quinimo subditos eam observantes prohibet, punit, atque contra ipsos sive spiritualibus, sive temporalibus pœnis procedit (quod juste facere potest ad defendendum jura sua, c. *Olim causam*. 12. *de Restitut. spoliat.* cum similibus), hoc ipso conservat possessionem ju-

rii suorum: haud obstante, quod populus eo ignorante per aliquot dies ex timore observasset dictam interdicti sententiam, ab altero episcopo prolatam, c. *Olim inter*. 17, eod.

217. *Aut saltem publice protestetur.* — Quod si vero propter potentiam alterius hoc non potest, aut ex timore non audeat facere, consilium erit, ut ad conservandum jura sua istud publice protestetur, arg. can. *Pontifices*. 7, q. 1, juncta Glossa, § *Cum cautela*. et c. *Tastoralis*. 11, § *Verumtamen*, *de Offic. ordinar.* et cap. ult. *de Appellat.* cum similibus.

218. *Cur possessio incorporalium retineatur per solam resistantiam, vel protestationem, non item corporalium.* — Nec obstat, quod ad mantinendam possessionem rerum corporalium, etiam immobilium, non sufficiat resistantia, vel protestatio prioris possessoris, l. *Si id quod*. § *fin.* *de Acquir. possess.*, ubi reversus ad recuperandam possessionem fundi, ipso absente per alium occupati, sed repulsus, censetur possessionem illius fundi amittere. Resp. enim disparitatem esse inter corporalia et spiritualia, seu jura incorporalia: siquidem incorporalia tenacius inhaerent, sicque difficiliter perduntur, quam corporalia, quæ citius amittuntur, ac destruuntur, c. *Inter corporalia*. 2. *de Translat. episcop.* Unde non mirum, quod possessio incorporalium retineatur per solam resistantiam, vel protestationem: non item possessio incorporalium ab alio invasorum, seu occupatorum. Innocentium cit. c. *Olim inter*. et Joan. Andreas ibid. n. 3, et Abbas n. 14, *de Restitut. spoliat.* et alii.

§ VII.

DE PROBATIONE POSSESSIONIS, PRÆSERTIM IN INTERDICTO: *Uti possidetis.*

219. *Probatio domini est difficilis.* — Quaritur I. Quibus modis generatim probetur possessio? Resp. I. Possessionis probatio non usque adeo difficilis est, haud obstante, quod probatio domini sit difficilissima. Ita Mascardus *de Probationibus*. concl. 871, n. 10, juncta concl. 539, n. 1, Maranta in *Praxi aurea*, part. IV. dist. 9. n. 43; Gailus, lib. II, *Practic.* observat. 26, n. 2. et alii. Et quidem quod probatio domini sit difficilis, passim latentur doctores: eo quod ad ejus probationem plura requirantur, arg. l. *Cum res*. C. *de Probation.* Nam, ut inquit Glossa ibid. § *In vacuam*. sa-

tis non est ad probationem domini alicujus rei, puta fundi, quod quis probet ejus emptionem; sed ulterius oportet probare, quod venditor fuerit dominus. Si enim venditor non fuisset dominus, etiam emptorem non potuisset facere dominum illius rei: « quia nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habet, » ut dicitur l. *Nemo*. 53, ff. *de Reg. jur.* Atqui notum est, quanta sit difficultas in probando quod venditor fuerit dominus rei venditæ. Facit ad hoc ipsum textus in c. *Ad probationem domini*. C. *de Probat.* ubi proin Glossa fin. notandam inquit, « quod res mea, pecunia empta, non ideo est mea, ut l. I, C. *Si quis alteri vel sibi*, » etc.

220. *Non item probatio possessionis. Ad hanc probandam sufficiunt leviores, ac semiplenæ probationes et quando?* — Econtra, quod possessio sit facilis probationis, ex eo liquet: quia hæc illico probatur per traditionem rei a priore possessore factam: atqui patet hoc esse facillimum, ut taceantur plures modi probandi possessionem. Accedit ratio, quia quæstio possessionis censetur esse parva, et modici præjudicii, utpote quod est reparabile in petitorio, arg. l. un. c. *Si de momentanea possessione*, etc. et l. *Momentanea*. c. *Qui legitimam personam habent*, etc. Unde, quod in probanda possessione sufficiant leviores, ac semiplenæ probationes, ut puta per famam, vel unum testem, tenet Bartolus in l. II, § *Si vero*, c. *Ubi in rem acto*, etc.; Menochius, *de Recuperanda possessione*, remed. 15, n. 410 et seqq.; Maranta cit. n. 43 et Mascardus, loc. cit. concl. 1205, n. 1 et seqq. allegans plures alios.

Fatendum tamen, quod prædicti auctores istud dumtaxat admittant in probatione possessionis momentaneæ, aut quæ est modici præjudicii, cum facile reparari possit in petitorio. Uti accidit in possessione ex interdicto. *Quorum bonorum*: item in possessione ex Carboniano edicto, vi cuius impubes, cui movetur controversia, an inter liberos sit, causa summariter cognita datur possessio bonorum hæreditariorum, et iudicium desuper in tempus pubertatis differtur, l. I et seqq. c. *de Carboniano edicto*. Et idem fit in possessione ventris nomine, quæ datur mulieri prægnanti in bonis mariti, ut inde alatur. Secus est dicendum de probatione possessionis illius, quæ parat plenum præjudicium, utpote non reparabile per petitoriam: eo quod dominium sit difficilis, et quandoque impossibilis probationis. Tunc enim maximi

est præjudicii, possidere; eo quod probata possessione, competat alicui manutentio in ea, § *Retinenda*, instit. *de Interdict.* una cum cæteris commodis possessionis, supra § 2, n. 40 et seqq. jam relatis: ac proinde in causa talis possessionis, veluti magni præjudicii, exactæ requiruntur probationes; quam adhuc hæc sint faciliores, ac probatio domini, ob rationem supra allatam.

221. *Possessio potest probari variis modis. Qualiter probetur quasi possessio incorporalium? Puta, alicujus canonicatus?* — Resp. II. Possessio potest probari variis modis. Et primo quidem ea probatur per instrumentum adeptæ possessionis: tale enim ad effectum manutentionis in possessione satis probat, alio non possidente. Rota in una Calaguritana, capellania, 3; julii 1628 coram Merlino, decis. 372. et Rota decis. 506, n. 1, part. I, divers. Deinde probatur possessio ex confessione adversarii, facta v. g. in sua supplicatione, sive libello judici oblato, l. *Cum precum*, c. *de Liberal. causa*. Rota decis. 802, part. I, divers. et alia Rota in una Lunens. Sarzanen. *Jurispatronat.* 4 julii 1628, coram Merlino, decis. 374. Tertio probatur possessio omnibus illis modis, de quibus hactenus per præcedentes paragraphos dictum est: videlicet loquendo de possessione rerum corporalium, per apprehensionem earum veram vel fictam; prout fasius declaratur supra § 4 a numer. 103 usque ad n. 138, afferendo varios fictæ apprehensionis modos ac postea n. 139 et seqq. subjungendo modum acquirendi rerum corporalium possessionem ex legis dispositione. Loquendo autem in incorporalibus, puta de juribus, potestate eligendi, jurisdictione, ac hujusmodi, qualiter, quibusque actibus generatim quasi possessio acquiratur, atque ab uno in alium transferatur, pariter dictum est § 5, per totum, illico postmodum § 6, subjungendo diversos modos amittendi possessionem tum corporalium, tum incorporalium.

ræterea, et magis in specie loquendo, quasi possessio jurium incorporalium, potest probari ex gabellarum exactione, et persolutione onerum sibi debitorum; ex captura bestiarum, harumque restitutione, ubi ab alio captæ fuerunt; ex condemnatione et punitione malefactorum; ex obedientia præstita sibi, vel suis officialibus exercentibus in loco jurisdictionem; ac ex aliis hujusmodi actibus possessoriis, v. g. per actum eundi, vel agendi in fundo, per electionem, vel præsen-

tationem ad beneficium antea factam, etc. Mascardus *de Probation.* concl. 1183 et 1194 et seqq. ac alii, et concordant dicta superius § 5, n. 154 et seqq. Hinc etiam possessio, seu quasi possessio canonicatus, probatur probando exercitium particularium actuum solis canonicis competentium; ut, quod quis habuerit stallum in choro, locum in capitulo; legerit seu cantaverit ut canonicus, c. *In Genesi*, 55, et Abbas ibid. n. 6, *de Election.* Item, quod per capitulum obtinuerit domum, quæ solis canonicis consueverat assignari; et quod fuerit receptus ad osculum pacis eo tempore, quo soli canonici recipiebantur, c. *Dilecto*, 25, et ibi Abbas n. 7, *de Præbend.* ac hujusmodi.

222. *Et qualiter probetur possessio incorporalium?* — Insuper possessio rerum corporalium probatur ex perceptione fructuum, arg. l. II, et ibi Bartolus c. *de Acquirend. possess.* et l. *Litibus*, c. *de Agricol. et censib.* lib. II. Sic ex depositione testium, qui expriment actus possessorios perceptionis fructuum, et locationis (puta, quod viderint Titium collegisse fructus talis fundi, vel pensionem a colono ipsi solutam fuisse) plene probatur possessio illius fundi. Rota in una Romana, Viennæ; die 27 martii 1628, coram Merlino, decis. 344, n. 1, et Rota coram S. mem. Gregorio XV, decis. 160; Mascardus *de Probation.* concl. 1189, n. 1 et 2, allegans alios. Idemque dicendum de cultura agrorum: horum enim possessio rite probatur ex eo, quod curaverim terram seminari, arari et coli, juxta Glossam notabilem in l. III, §. *Finiat.* c. *Finium regund.* ubi Baldus n. 4, addit, quod per dictam agrorum culturam possessio probetur, licet de perceptis redditibus non constet. Mascardus concl. 1188, n. 1 et seqq. istud ampliatis, etiamsi alius meo nomine agrum colat, vel fructus ejus percipiat.

Rursus probatur possessio ex eo, quod quis confiteatur, se nomine meo possidere: nam « is possidet, cujus nomine possidetur, » prout habetur c. *Cum venisset*, 9, *de Restitut. spoliat.* junctis concordantiis per Glossam fin. ibid. adductis. Insuper probatur possessio per custodis appositionem ad rem ipsam, arg. l. III, § *Nerva filius*, et l. *Si rem mobilem*, ff. *de Acquirend. possess.* Item per lignorum incisionem, et pascuationem pecorum in tali loco factam: item ex demolitione ædificii; aut ex eo, quod quis terra evulsis arboribus ad culturam redegerit. Generaliter enim pos-

sessio probatur per actus, qui communiter non solent fieri in rebus, nisi a dominis, vel possessoribus earum, l. II, c. *de Acquirend. possess.* Mascardus, concl. 1196 n. 1 et seqq. limitans, dummodo tales actus fiant meo nomine, et præcedente meo mandato, aut secuta ratificatione. Tacentur complures alii similes modi probandi rerum possessionem, de quibus fusissime Mascardus *de Probationibus*, a concl. 1184 usque ad concl. 1207, et alii.

223. *In interdicto retinendæ possessionis, seu Uti possidetis, quandoque utraque pars vult probare, se esse in possessione.* — Quæritur II. Quid juris, si agatur Interdicto retinendæ possessionis, quod appellatur « Uti possidetis, » et utraque pars contendat, probareque satagat, sese esse in possessione? Exemplum hujus habetur in c. *Ex litteris*, 3, et c. *Licet causam*, 9, *de Probationib.*, in quorum priori loco litigarunt duo beneficiarii de quadam parte fundi ad suam præbendam spectantis, quam uterque diu sese possedissee asserebat: in altero autem contendebatur super jurisdictione, honore atque districtu in certo loco, respectu cujus utraque pars prætendebat possessionem, eamque probare conabatur. Idem accidit, quotiescumque emergit quæstio super possessione juris venandi, piscandi, pascendi, vel ligna cædendi in certo loco, et utraque pars litigantium per antea exercitos actus possessorios ostendere studet, sese esse in possessione vel quasi possessione talis juris. Ad quod

224. *Et tunc obtinet ille, qui probat suam intentionem altero non probante.* — Resp. I. Quando unus litigantium deficit in probatione, enervatis videlicet rationibus, aut testibus ab ipso productis, clarum est quod obtineat ille, qui probaverit suam intentionem, seu possessionem, altero hanc non probante. Nam generalis est regula, quod iudex debeat judicare secundum allegata et probata, can. *Judicet*, 3, q. 7, cum concordantiis per Glossam ibid. §. *Audit allegatis.* Verum hoc est extra statum quæstionis.

225. *Aut qui antiquiorem probat possessionem qui se vel possidet, etiam hodie possidere præsumitur declaratur.* — Resp. II. Si uterque litigantium per antea exercitos actus possessorios probaverit possessionem, obtinebitis, qui antiquiorem probat possessionem. Ita desumitur ex c. *Licet causam*, 9, *de Probation.*, ac notat Abbas ibid. n. 9, post Innocentium, et Joan. Andreas, n. 24, et Felinus.

n. 9. Idemque tenet Bartolus in l. *Si duo*, vers. *Circa principium*, ff. *Uti possidetis*, et Mascardus *de Probation.*, concl. 200, n. 1, et concl. 202, n. 1 et seqq., allegans illud vulgatum, istudque late declarans: « Qui semel possedit, etiam hodie possidere præsumitur: » stante nimirum dubio, seu donec alius probaverit, priorem possessorem justa ex causa amisisse possessionem, seque in hanc admissum esse; cum nemo rem suam jactasse præsumatur, l. *Cum de indebito*, ff. *de Probation.*, estque communis aliorum. Accedit ratio, quia, cum duo eandem rem, simul et eodem modo possidere non possint, in dubio stat præsumptio pro legitimitate antiquioris possessionis; et consequenter, quod posterior possessor non nisi propria temeritate, seu vi aut clam, sicque injuste possessionem intraverit: unde nova ejus possessio, quandiu de hujus justitia non constat, præsumitur clandestina, et vitiosa, c. *Licet causam*, 9, § *Ex præmissis. de Probation.*, qualis merito debet cedere priori legitimæ.

226. *Dictio Maxime est implicative: et quid denotet?* — Nec obstat, quod in d. c. *Licet causam*, sit sermo de possessione antiquiori etiam munita titulo: unde summarium ibidem sic habet: « Si actor et reus in interdicto retinendæ possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo maxime justificatam. » Resp. enim, hinc solum sequi, quod accedente titulo fortius militet ratio de antiqua possessione; non autem, quod titulus necessario requiratur: sufficit enim sola probatio antiquioris possessionis, donec alter probet, quod juste possideat. Et hoc ipsum insinuat dictio *Maxime*, in summario proxime allato contenta: hæc enim dictio est implicative, et ex propria vi atque natura implicat, seu denotat idem esse, quamvis ratio expressa, puta titulus deficiat, licet ea stante magis illud urgeat, arg. l. I. *Si ex doctante*, ff. *de Collationib.*

227. *Intrans possessionem alterius censetur injuste possidere, nisi probet quod juste.* — Accedit ratio: quia « duo simul eandem rem, et eodem modo, in solidum possidere non possunt, » ut argumentatur Pontifex in d. c. *Licet causam, de Probation.*, atque procedit non solum in corporalibus, sed etiam in incorporalibus, quoad effectum juxta Abbatem loc. cit. n. 10. Ergo, quando constat de antiquiori possessione alicujus, quæ usque ad præsens fuit continuata, intrans possessionem illius censetur aut clandestine, aut violenter